

qui occasiones eorum vitare negligit. Hinc totiens præcipitur discessus ab impio, ac consulitur conuersatio cum bonis, quia peccatorum conuersatio occasio est secum conuersantibus similiter peccandi. Hinc est illud, Discede ab impio, & deficient mala abs te Eccl. 7. Et illud Prouerb. 22. Non sis amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius. Item Eccl. 13. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicat superbo, inducet superbiam, & similia multa, quæ lógus esset annotare. Hinc dominus falsos prophetas cauere Mat. 7. & à pharisæorum fermento attendere docuit. Sed & Petrum passionem domino dissuadente repulit. Mat. 26. Vade inquit, post me Sathanas, scandalum es mihi. Nunquid poterat dominus ab aliquo scandalizari, aut ad peccatum illici? Absit hæc blasphemia in filium Dei. Sed hoc exemplo nos scandala fugere docuit, quæ sunt occasiones peccatorum. Apostolus den inq; vt ab omni fratre inordinatè ambulante nos subtrahamus, denunciat 2. Thess. 3. Et homines nouissimorum temporum superbos, elatos, cupidos &c. deuitare præcipit 2. Timoth. 3. Et iugum ducere cù infidelibus prohibet, rationem super ad dens 2. Cor. 6. Quæ enim inquit, participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidelium cù infidelibus? Quis ad consensus templo Dei cum Idolis? Et ita reuera nulla esse poterit coniunctio penitentiæ cum occasione peccatorum, cum illa ad iustitiam, istæ ad iniquitatem perducant. Illa ingerat lucem, istæ tenebras. Illa Christo conciliat, istæ Belial subdant. Illa sit fidelium, istæ induratorum. Templum domini illa purget, istæ idolis locum præparét. Plena est scriptura auisamentis, quibus instrumur peccatorum occasiones declinare. Quorum plurima in libello de clericorum singularitate coligit Augustinus, inter cætera ita inquit. Qui fretus est conuersari cum scandalo, sine

causa non dicit, pacatus volo esse cum diabolo, contra apostolum dicentem. Nolite locum dare diabolo. Scandalum autem offendiculum est, siue peccati occasio. Vnde pro certo implanator. i. seductor proprius suam animam decipit qui non canendo contraria noxiis rebus semetipsum semetipse commiserit. Ille autem tutius sibi consulit, qui circa malos séper infidus, species quasque noxias extimefcit. Difficile namq; venenum quis bibet, & viuere? Verendum est dormienti in ripa, ne cadat. Cui aludit Isido lib. 2. soliloqui. Tolle inquit occasionem peccandi, aufer materiam delinquendi. Corpore semotus, ab intentione peccandi discedis. Circa serpentem autem positus non eris diu illusus. Ante ignem consistens & si ferrensus, aliquando dissolueris, proximus periculo, diu tutus non eris. Sæpe occasio peccandi voluntatem fecit. Sæpe quos voluntas non potuit, assiduitas superauit. Restat ergo, vt qui à peccatis perfectè conuerti voluerit ad dominum, nedum à malo, sed etiam ab omni se mali specie abstineat, secundum apostolum 1. Thess. 5. & cum muliere Chanaanæ nedum de ciuitate. i. peccato ipso exeat, sed & de finibus, hoc est occasione peccatorum, dicens cum propheta. Declinate à me maligni, id est male ignientes, vel igniti, quia amodo serua bor mandat a Dei mei.

Sed dicis forte. Si ita est necessarium fugere peccatorum occasiones, cum totus mundus plenus laqueis beato Antonio monstratus est. Et beatus Ioannes in prima canonica cap. 2. ait. Omne quod est in mundo, concupiscentia est carnis, oculorum, aut superbia vitæ. Et cap. 5. Mundus totus in maligno positus est, necesse erit exire mundum, vt dignè agatur penitentia, & ita seculo alligatis nulla esset salus. Sed hoc solum, nam & virtutes ipse, & opera virtutis occasionem nonnunquam præstant superbiæ. Propter quod beatus Aug. magis timet de superbia in acumine virtutum existentibus, quam patientibus in sordibus peccatorum, vt pa-

Quo occasionem peccatorum sunt vitanda.